



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

A P R I L I S.

Festum S. Francisci de Paula
Ordinis Minimorum Fundatoris
charitate ardentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! qui nescit amare, veniat ad S.
Franciscum de Paula. Cui non alia
tessera, quàm: *Charitas*. Hæc si in
mundo regnaret, tanta non foret mise-
ria, nec inquietudo, ac turbatio tanta.
Liberi ut simus utraque, S. Franciscum
induamus, solum Deum diligamus, &
proximo subveniamus. Est alter ego.
Qui non diligit, manet in morte.

Instructio meritoria.

Omnibus pauperibus, vel aliquid ali-
ud nobis petentibus verba saltem tri-
buamus benevola. Et ut coelum pro-
videat indigentibus, 33. *Pater & Ave*
oremus. Bonum Patrem habemus:
sursum oculi! beatus, qui intelligit su-
per egenum, & pauperem; in die ma-
la liberabit eum Dominus.

II.

NOvam, eamque durissimam exco-
gitavit vivendi rationem, quam &
ipse S. Franciscus longioribus jejniis
servavit rigidissime, memor, non cibis,
sed virtutibus implendam esse animam.
Fili! nondum gustavimus fel Christo
Jesu in Cruce sitienti propinatum: nam
plus æquò sequimur appetitum. Pau-
cis contenta est natura: ut quid one-
ramus?

Instructio meritoria.

Ab omni cibo aliquid relinqua-
mus, vel amore pauperum, vel amore
virtutum temperantiæ, & sobrieta-
tis. Has ut sibi implantent solide viri
religiosi, *hodiernum sacrum* cum Com-
munionem spirituali offeramus. Cibabit
Jesus sanguine, qui alterum refecerit
amore fraterno.

III.

PRæceptum D. Francisci erat: *filio-
li! qui major est in nobis, fiat sicut
minimus.* In humili crescit anima, au-
getur gratia, acquiritur gloria; bene
Eucherius: *vanitatem magis fuge,
quan-*

*quanto melior effectus es : cætera enim
vicia crescunt vitiis, vanitas virtutibus.*
Cape tibi hoc: Et dum bona agimus,
nos ad pedes Jesu humiliemus. Non
abjiciet!

Instructio meritoria.

Assuescamus in nostris posthac sacris
confessionibus nos notanter accusare
propter vanam gloriam, & propriam
complacentiam in nostris operibus non
rarò quæsitam, vel affectatam; hodie
verò in compensationem neglectæ hu-
militatis ter expansis brachiis dicamus
12. *Pater & Ave* cum cantico: *Mag-
nificat.* Verè Cantica solis humilibus,
& simplicibus sunt propria.

Festum S. Isidori Hispalensis
Episcopi, & Doctoris in Ecclesia il-
luminatissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Nobilem parvulum S. Isidorum!
adhuc adolescentulus Arianam
hæresin tam potenter redarguit, ut pro-
pè fuerit, ut ab adversariis necaretur.
Quàm felix tunc cecidisset Deo victima!

N

Dile-

Dilecte! habemus in parvulo, quod miremur! habemus & quod imitemur. Viva fides ni rexerit annos, mali vivimus Christiani: quales ergò & religiosi?

Instructio meritoria.

Ut SSS. Trinitas meritò S. Isidori destruat & evellat ex horto S. Romanæ Ecclesiæ omnia lolia, spinas & zizania ab hæresi plantata, oremus symbolum S. Achanasii. *Quicumque vult salvus esse.* Inspice, & crede.

II.

Electus in Archipræsulem S. Isidorus, ne deesset vitæ, & morum exemplo, in humilitate, patientia, & ergà pauperes jugi charitate, ac benevolentia, speculum sese præbuit omnium oculis. Honores ò fili! & dignitates dantur, non ut corrumpant, sed ut perficiant mores. At hos ipsos perficere, dum sumus in altis, artium ars erit maxima; certè vel à solo Deo speranda.

Instructio meritoria.

Ut tribuat omnibus superioribus, & magnatibus donum tam necessarium, versùs quatuor mundi plagas flectamus,
&

& oremus 12. *Pater, & Ave.* Tot enim gradibûs scanditur sanctitas humilitatis. Addamus & ardens suspirium: Domine Jesu! ne tradas bestiis, concupiscentiæ oculorum, ac superbiæ vitæ animas confitentes tibi! Quale caput, talia & membra.

III.

Tanta scripsit S. Isidorus, ut hominis vix vita tantis suffecisse laboribus credi posset. Sic fili mi! qui Deo student, & coelo laborant, nulli cedunt difficultati; superant omnia, ut Deum, & animas sibi rapiant. O si hic spiritus, tantus zelus, & fervor inesset nobis! non tempori, sed æternitati viveremus, cujus tamen tam rara memoria.

Instructio meritoria.

Vitemus, & fugiamus omne otium, totamque diem occupationibus religiosis, & statum decentibus impendamus, præmittendô cuilibet *tria Pater & Ave* cum triplici *Gloria Patri &c.* & oratiunculâ: *Actiones nostras &c.* Homini est laborare; Dei autem benedicere.

Festum S. Vincentii Ferrerii ex
Ordine S. Dominici Concionatoris
Zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili dilecte! quem hodie colimus
Sanctum? Deo, caelo, & homini
gratissimum. Tanæ fuit eloquentiæ,
& sanctitatis in prædicationis officio, ut
Judæorum arguendô perfidiam, & Sa-
racenorum confutandô errorem, ac
pertinaciam, animas innumeras sic lu-
cratus Christo. O utinam plures exsur-
gerent Vincentii, & tam zelosi pro
Christi Nomine Viri Apostolici!

Instructio meritoria.

Sunt, ô fili! in Sacris Religionibus
enutriuntur. Ut multiplicentur, *Lytanias de omnibus Sanctis* hodie dicamus,
rogantes Dominum, ut tales mittat
operarios in vineam suam, quorum ze-
lô, & spiritu gloriosè Romana exal-
tetur, & triumphet Ecclesia. Hâc stan-
te, stabit & Christianorum gloria.

II.

Quærimus, ò fili! unde tanta in animos vis, & virtus S. Vincentio? De tremendo iudicio Dei dixit: inde omnis terror. Boni stimulabantur ad virtutem, mali revocabantur ad pœnitentiam. An hîc non illud ex Deuter. c. 32. exclamem: *Utinam homines saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Profectò mundus, & dæmon cum carne non ita prævalerent.

Instructio meritoria.

Non ibimus in lectum nisi præmissâ conscientia nocturnâ discussione, & ut in iudicio extremo placatum experiamur Judicem, Vesperas ex officio defunctorum recitemus cum Psalmo *Miserere*, & quidem ad exemplum S. Caroli Borromæi, funiculò pœnitentiali à collo dependente. Non parcitur nisi pœnitenti.

III.

Quis neget, S. Vincentium fuisse Divi Dominici filium? Beatissimæ Virginis Mariæ Officium quotidie dixit. Ut parvuli continuò ore, & corde vol-

N 3 verent

verent Ave Maria, solerter invigilavit,
quin & suaviter persuasit. Fili! an hoc
non est ex ore infantium, & lactentium
perficere laudem, & gloriam Mariæ?
Idipsum possumus & nos. Possumus
verbo & exemplô. Væ scienti bonum,
& non facienti!

Instructio meritoria.

Rosarium cum Cursu Mariano in om-
ni devotione, modestia, & attentione
persolvamus, & ad quamlibet decadem
decies exosculabimur terram cum di-
cto: *Laudetur centies millies Nomen,
& Gloria Mariæ!* O sacratum os!

Festum S. Hermanni Josephi
ex S. Ordine Præmonstratensium,
Clientis Beatissimæ Virginis
addictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! etiam Mariæ sunt deliciae esse
cum filiis hominum. Maria cum
Hermannò agebat quàm familiarissimè.
Oranti Jesulum tradidit: phlebetomo-
ne brachium offenderet, astitit: infir-
mum pro sanitate remedia docuit. O
quan-

quanti hi amores! meruit vitæ sanctitate, & morum innocentia. O si & nobis in deliciis foret!

Instructio meritoria.

Amore Mariæ unam, vel alteram vanitatis mundanæ fugiamus occasionem, & hujus locò in templo, vel cubiculò veneremur Mariam *Officiò Immaculate Conceptionis*. Oleum hîc latet, quò nostros inungamus sensus, & naturam corruptam.

II.

Quoties Nomen pronuntiavit Mariæ, mirâ dulcedine! & animæ perfundebatur lætitiâ. Ista negantur iis, qui tantæ matris aut rarò, aut nunquam recordantur. Fili! qui sapit cordi tam Augustum, & dulce Nomen? Trahe nos ò Maria! torpentes, ut reddas ardentes!

Instructio meritoria.

Trahet ò fili! si hodie linguam, & os speciali pacto Beatissimæ Virgini consecremus; ne verò alia proferamus verba, quàm salutis, & divinæ gloriæ, quinque psalmos recitemus exprimen-

296 VII. Aprilis. S. Hermanni Josephi.
tes quinque initiales litteras SS. Maria-
ni Nominis. Si Mater sum, honorem,
& amorem expecto.

III.

PAuperi Hermanno sub lapide submi-
nistrat Maria, unde suis occurrat ne-
cessitatibus. O dilecte! cur ita solliciti de
cura corporis? Confidamus Mariæ, pete-
mus à Matre tum corpori, tum anime
necessaria. Amat Maria eos, qui cum
ipsa familiariter de suis colloquuntur mi-
seriis. Maria est omnium hominum
Mater geniturâ & curâ, quia unum ho-
minem genuit, per quem omnes recrea-
vit, seu regeneravit. S. Antoninus.

Instructio meritoria.

Cnsuetudinem tam sanctam, quam
opportunam ut contrahamus, à mane
& meridie coram sacra quadam icone
flectentes, *tria Pater & Ave cum Credo*
perfolvamus, additâ & illâ sui commen-
dationis formulâ : *Sub tuum presidium*
confugimus : & oratione : Concede nos
famulos tuos. Mendici sumus; oportet,
ut pulsemus. Ubi? In corde Mariæ.
Cla-

Claves sint sancti mores, & pura conscientia.

Festum S. Wicterpi Augustæ
Vindelicorum Doctoris, & Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

Discamus, ô fili! quid debeamus Mariæ. Huic cum corde se totum dedit Wicterpus, nec hoc contentus, addidit & fundum pro ædificanda Mariana Basilica. Templum si struere non valeamus ex lapidibus, matri saltem struamus ex piis devotionum, & pietatis affectibus. Et id nunquid impossibile? Absit? Amanti suavia sunt omnia.

Instructio meritoria.

Si quod nobis altare in cubiculo, hodie ornemus, & si nulla in eo Beatissimæ Virginis affixa S. Imago, inferamus, & aræ imponamus cum hymno: *Ave Maris stella*: Et *Salve Regina*. In ore, & manibus probatur amor Mariæ.

II.

Fili! nec in morte dimittit Maria, qui eam teneriùs dilexit per vitam. Wicterpi tumulum aliò transferri voluit

N 5

ho-

homo. At non concesserat, quam tam fervidè coluit, cœli Domina, & Virgo immaculata. Quàm bene est ergò filio, dum vivit sub potenti Mariæ patrocinio. Et quis unquam ab hac matre æger, aut tristis abiit?

Instructio meritoria.

Nos ita velle vivere, & mori, testemur hodie *formula votivâ cum Litanis Lauretanis*, statuentes, & hac septimana servare jejunium sabbathinum. *Talis est quisque, qualis est ejus dilectio.* Terram diligis? terra es. Mariam diligis? Mariophilus eris tam in vita, quàm in morte. O pretiosa mors, quam excipit Mariæ sinus!

III.

TRiste spectaculum exhibet piæ cui-dam Virgini S. Wicterpus. Jesum ostendit sub elevatione plagis, & sanguine deformem. Quis vulneravit? Sacerdos sacrilegus. Fili! tanti est, assistere, vel immolare missæ sacrificium cum impuritate! accedamus cum tremore!

Instructio meritoria.

Studeamus recollectioni, & modestiæ,
dum

dum stamus, vel oramus ad immolationem sacræ Missæ. Tempus id gratiæ, non offensæ est. Ut avertantur horrendæ ejusmodi sacrilegia, & omnia sanctè fiant sacrificia, recitemus *Rosarium de quinque* dolorosis Mysteriis cum Rythmo: *Adoro te devotè latens Deitas.* Offensæ compensantur signis reverentiæ.

Festum B. Idæ Lovaniensis, ex Ordine SS. Patris Benedicti, in Monasterio vallis Rosarum Prodigiousissima.

EXHORTATIUNCULA I.

Tanto mentis ardore Passionem Domini contemplatur Ida Beata, ut Christus quinque vulnerum stigmata igneò amoris stylò cordi, manibus, & pedibus impresserit Beatæ. Quàm verum: Amor aut similes invenit, aut facit. O fili! non amamus Christum, si nesciamus compati.

Instructio meritoria.

Feriam sextam perpetuò cultui Passionis Dominicæ destinemus, sacro ad no-

Et in silentiô, & jejunió veneremur, & speciali aduersitatum patientiâ condecoreremur. Incipiamus hodie recitandô 34. *Pater & Ave* in honorem eorum omnium, quæ totâ vitâ passus est Christus. Ab his gloriari, & lætari nisi in passione Domini.

II.

EX incredibili fumendæ sacrosanctæ Eucharistiæ desiderio, sanguinem frequenter emisit, radiósque splendidissimos diffudit ex oculis. O fili! ubi ignis ibi & radii. Corda nostra non ardent; hinc tantæ tenebræ. Quid agimus? S. Idam invocemus pro acquirendo fervore, dum tempus sacre Communionis.

Instructio meritoria.

Sacra Communio ubi instat, devota præparatio fiat! servandô videlicet silentium, contemnendô sæculum, & piis lectiõnibus præveniendô sacrificium. Hodie recitemus Officiũ de SS. Altaris Sacramento, & sæpius genuflectamus versùs quatuor mundi plagas jubilantes: *Centies millies laudetur Sanctissimum Altaris Sacramentum!* Hæ flammæ sunt amoris.

III. Sal-

III.

Salvator sub specie peregrini ad Beata-
tam Idam accedens, illius pectus
manibûs suis referat, & per apertum la-
tus sese totum intrâ ipsam recipit. Fili!
quantum hoc amoris prodigium! Sic
est: Cor mundum, & vanitatibus va-
cuum possidet Deus. Quæ enim Con-
ventio Christi cum Belial? Cadat Dagon!
regnet Jesus in cordibus nostris!

Instructio meritoria.

Custodiamus strenuè sensus, & coele-
stibus solùm intendamus, tres visitatio-
nes extraordinarias instituendô, & sem-
per *Officium* de SS. ac dulcissimo Nomi-
ne Jesu recitandô. Quò plus potantur,
plus sitiuntur aquæ. In Nomine Jesu
omnis suavitas, & dulcedo.

Festum S. Ludvinæ Virginis

Speculi Patientiæ lucidissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Ludvina adhuc balbutiens prima
verba in *Ave Maria* formavit. Fi-
li! si prima hæc in ore nostro non fuit
Matris salutatio; vivamus sanctè, & ca-

N 7

stè,

stè, ut saltem morientibus sit ultima.
Verba enim hæc verba salutis, & æternæ
felicitatis sunt.

Instructio meritoria.

Ut mereamur mori sub invocatione
Sanctissimorum Nominum Jesu & Ma-
riæ, euntes cubitum, & jamjam obdor-
mituri quotidie suspiremus: *Jesu! Ma-
ria! Joseph! in manus vestras commen-
do corpus & animam meam nunc, & in
hora mortis. Amen.* Recitemus quo-
que Litanias Lauretanæ. Mariophilus
nescit loqui nisi Mariam.

II.

Fili! quàm sumus delicati? Ludvina
Sponsa Dei dilectissima, triginta
octo annos cruciatur in singulis corporis
partibus. O cur nobis ita parcit Deus!
Timendum, ne differat in vitam alte-
ram. Gaudeamus ergò, si manus teti-
gerit nos. Castigat solùm, quos amat
& recipit.

Instructio meritoria.

Infirmum, si quem sciamus, visiteamus,
& verbò consolationis excitemus, ani-
mantes ad firmam in Deum confiden-
tiam.

tiam. Nos verò, ut Deus omnibus afflictis largiatur Christianam fortitudinem cum patientia, oremus Psalmum: *Domine! quid multiplicati sunt* &c. cum *ſ. Pater & Ave* in honorem Passionis Dominicæ. Si hæc nos non confoletur, quid consolabitur afflictos?

III.

Tantos inter dolores quid agit S. Ludvina? Lætatur, & longè pati majora desiderat. Et pro quo? O stupendam charitatem! dolores suos obtulit Christo Domino in refrigerium animarum in purgatorio lugentium, cum hac petitione: *Jesu! miserere afflictarum.* O illustre amoris, & patientiæ spectaculum! non trahet in sequelam? fili! curramus potiùs!

Instructio meritoria.

Quidquid adversitatis, vel tribulationis nobis obvenerit hodie, patiamur hilares, & offeramus per gloriosas S. Ludvinæ manus omnibus defunctis, addendò etiam *Vesperas ex Officio Defunctorum.* Horum redemptio erit nostra

stra salvatio. Fratres Jesu sunt : misereamur !

Festum S. Anselmi Archiepiscopi Canutariensis Virginitatis Mariæ Defensoris acerrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

S. Anselmo unde tanta de rebus Divinis, & altissimis scientia ac doctrina? A scientiarum Regina, Matre sua amabilissima Maria : Hujus Innocentiam primam ore, & calamo constanter defendit, templa condidit, ad cultum Mariæ perpetuum pia corda exstimulavit. Hinc illa insignis D. Anselmi prærogativa, quòd Deipara eidem præceperit, celebrare Festum Conceptionis sue sine macula. O solemnitatem, ad quam cœli exultant, & omnes Angeli lætantur!

Instructio meritoria.

Gratulemur toti S. Benedictino Ordini, quòd talem in Anselmo nactus sit filium. Ut mysterium Immaculate Conceptionis in omnem exeat terram, & in fines orbis terræ, *formulam Voti-*

vam

vam cum Te Deum Laudamus, ac officio minori persolvamus coram Sanctissimo. Cum Sancto sanctus eris.

II.

S Anselmus noctu in profundam labitur cisternam. Fili! jam attendamus amorem Mariæ. Jam adest ipsissima prensûmque manu maternè extrahit, & illæsum suis honoribus, & amoribus præservavit. Non pereunt, qui Mariam ambiunt. Quæ nostra cogitatio, si non de Maria?

Instructio meritoria.

Pro omnibus in lacu inferiori, seu luto vitiorum submersis, ut succurrat periclitantibus Virgo Maria, Cursum Marianum offeramus, & clausulæ locò psalmum *Miserere* addamus. Audit Maria, quia semper est nobis proxima. Si proxima: Ergò clamemus: O clemens! O pia! ô dulcis Virgo Maria!

III.

UT quid homines timemus, dum promovenda Dei gloria. S. Anselmus restitit regi Ecclesiam Romanam impugnanti, etiam tribunal Dei, & in.

incendia rebelli minatus inferni, & ter-
ruit impium : O quàm verum : reddite
Deo, quæ Dei sunt ! & Cæsari, quæ
Cæsaris.

Instructio meritoria.

Hunc zelum, hanc in Deiparam pie-
tatem exerceamus hodie, pro conversio-
ne hæreticorum, & schismaticorum, of-
ferendò septem psalmos poenitentiales.
Non semper sanguine, sed & precibus
& occultâ pietate defenditur, atque ex-
altatur Dei Nomen, & gloria.

Festum S. Georgii Martyris in-
ter Quatuordecim Auxiliatores Pa-
troni Potentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! & nos cum D. Georgio milites
sumus Christi Jesu. Utinam in
tribulationibus, & adversitatibus tam
fideles, ut S. Georgius ! hunc nec blan-
ditia, nec oblati honores separabant à
Christo. Nos inter prospera qui su-
mus? veri milites, si Dei, & coeli me-
mores. Mundus certè non trahet, quos
sibi rapuit Jesus.

Instructio meritoria.

Eciam tempore consolationis, & prosperitatis adhæreamus Deo, fugiendò omnem laxitatem, ac effusionem in sensibus. Ne cadamus, coram Sanctissimo Venerabili *quinque Pater & Ave* cum Psalmo: *Deus misereatur &c.* Præmittamus recreationi, ut quinque sensus præsertim linguam, potenter custodiat. Portæ claudantur! & salva erit anima.

II.

UT tueretur partes Jesu S. Georgius, quid agit? dignitatem, & munus tribuni abjecit, se publicè Christi Jesu professus militem, ac discipulum. Munera non morantur, nec retrahunt honores, quotquot viva fides, & ardens multa pro Christo patiendi irruit desiderium. O si & nobis desiperent honorum stultitiæ! In cœlo quæramus! in terris inveniemus nunquam. Summa dignitas, contempsisse omnia. Nec certior via ad honores, quam fuga honorum.

In-

Instructio meritoria.

Pro nutantibus in fide oremus symbolum S. Achanasii: *Quicumque vult salvus esse.* Cui unum, vel alterum humilitatis actum jungamus. Frater adjuvat fratrem. Languente membro in corpore uno, languet, sentitque & alterum. Ubi charitas nostra? perit, si patiens, si benigna non fuerit.

III.

ROta, gladii, lapides, & viva calce probârunt D. Georgii constantiam. Hæc, mi fili! solis firmatur adversitatibus; deliciis verò emollitur. Nos ubi quærimus? Fortè inter dulcia? Quid mirum, si constantia tam debilis, & infirma.

Instructio meritoria.

In honorem 14. Auxiliatorum ad assequendam fortitudinem perfectam, patientiam, & humilitatem tempore tentationis, vel adversitatis oremus *Lyraniæ de omnibus Sanctis* cum 14. Patribus & Ave de iis ante somnum adhuc præmittendi. Cupiunt auxiliari: Sed non nisi invocati.

Festum

Festum S. Marci, Evangelicæ
Prædicationis gratiâ Evangelistæ
præstantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! veneremur sacra Ecclesiæ Evan-
gelia! continent ultimam Jesu Chri-
sti voluntatem, quâ nos in suos nuncu-
pavit hæredes, & dignos Patre cœlesti
filios. Quâ conditione? Non aliâ, quàm
illâ: *Tu verò vigila, & in omnibus la-
bora, opus fac Evangelistæ, ministerium
tuum imple, & tantis veritatibus coope-
rare. Horum unica, ô fili! solidè in-
tellecta, & strenuè exercitata nos efficiet
sanctos. Est enim vox Domini.*

Instructio meritoria.

Audientes legi SS. Evangelium, ani-
mum ad vivam fidem, spem & charita-
tem excitemus ardentissimam, cum de-
siderio, etiam ipsum ponendi sanguinem
ac vitam pro veritate evangelica. Hæc
ut magno fervore & zelo prædicetur
ubique, versus quatuor mundi partes
oremus genuflectendô 4. Pater & Ave
cum

cum

cum deprecatione : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta!*

II.

SUum quoque habet Evangelium mundus: Sed ò quàm contrarium Evangelio Christi! Christus præcipit: Sequere me in Cruce & afflictione. Mundus: Sede, bibe, epulare. Christus commendat humilitatem, paupertatem, obedientiam. Mundus detestatur. Fili: cujus discipuli esse volumus? Si mundi, negamus Christum cum suo sancto Evangelio. Quanta impietas!

Instructio meritoria.

Confundamus mundi dictamina, exercendò actus his directè contrarios, terque hac die nos reflectendo, quàm impiè cum suis agat mundi improbitas. Ut feliciter evadamus, Litanias majores de omnibus Sanctis recitemus. Non deserunt nos sancti, si fuerint piè invocati.

III.

S Marcus sui in prædicando Evangelio laboris qualè tulit præmium? A fidei hostibus ad mortem quæsitus, nomen suum coelo insertum legit, atque vidit

vidit. Quem pœniteat, multa, & magna sustinuisse in obsequium Christi, & S. Evangelii?

Instructio meritoria.

Pro Conversione totius Americæ, aliarumque provinciarum in tenebris superstitionum, & idololatriæ ingemiscantium tres visitationes ecclesiæ ac altarium instituemus, & 12. Pater & Ave persolvamus. Unam animam servasse Christo, opus divinum est. Quis præmia enarrabit?

Festum S. Petri Martyris ex Illustri S. Dominici familia.

EXHORTATIUNCULA I.

SI unquam quis Italiæ decus, & hæreticorum extitit malleus, fili! hunc S. Petrum fuisse credamus. Vix Septennis, suo jam Patruo hæretico symbolum apostolicum recitavit lætanter dicens: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Sic Deus perficit ex ore infantium, & lactentium laudes propter inimicos suos, ut destruat inimicum, & ultorem.

In-

Instructio meritoria.

Gaudeamus in solemnitate hodierna, & ut omnes parvuli in articulis fidei sanctè instruantur, & soli Christo enutriantur, oremus 34. *Pater & Ave cum Credo.* Et hæc in honorem Ætatis Jesu, Hac & annis Christi firmabitur labilis juvenus,

II.

Tentatus hic sanctus quid agit? Coram Imagine Beatissimæ Virginis Mariæ prostratus petit constantiam. Mox vocem audit: *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua.* Fili! facile, quin & dulce est tentari, ubi talis Mater est, quæ adjuvat. Sine tentatione miseri sumus: miseres tamen, si nec ad Jesum, nec ad Mariam convertamur afflicti.

Instructio meritoria.

In quacunquē tentatione hodie sustinenda, aut ad templum, aut coram S. Icone in cellula flectamus, Mariæ tentationem commendemus orantes hymnum Marianum: *Ave Maris stella.* Cum formula votiva. Audeamus, quod decet

debet filios. Matrem se esse probabit Maria.

III.

Otium oderat ceu infernum alterum. Nullus S. Petro sine linea dies. Vivere illius aut legere, aut orare, aut ægris famulari, aut laborare manibus erat. Fili! sic occupantur devotorum animi. Exuimus bonum Christianum, si amaverimus otium. Otium ò quàm lethale animæ, ac virtutis toxicum!

Instructio meritoria.

Somno, & recreationi unum nobis subtrahamus quadrantem, quem aut piis precibus, aut spirituali alicui annotationi impendamus. Ut verò acquiramus horrorem omnis otii perfectum, officium recitemus de Dulcissimo Nomine Jesu. Indignus gaudet hoc Nomine, qui non facit opera Christi. Et illa ò quàm sancta, atque perfecta!

O

Fe-

Festum S. Catharinæ Senensis
 Monialium sub regula. S. P. Domi-
 nici pugnantium Archiducissæ
 zelosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Fili! quomodo nostros inchoavi-
 mus annos? Ucinam inchoassemus
 cum S. Catharina! Hæc jam septennis
 se totam votò perpetuæ Virginittatis de-
 sponsaverat Christo. Citò operatur
 Christi gratia, si non impediatur cor-
 ruptâ naturâ.

Instructio meritoria.

Ut eant animæ plurimæ in exemplum
 Virginis hujus innocentissimæ, missò-
 que mundò in monasteriis angelicè ser-
 viant Christo, offeramus 12. actus spe-
 cialis in oculis & sensibus modestiæ cum
 Lytaniis de omnibus sanctis ex ordine S.
 P. Dominici. Qualis Pater, talis filia.

II.

Sponsam hanc sibi dilectam quomodo
 honorabat Sponsus Cœlestis? Im-
 pressionem Sacrorum stigmatum. Ob-
 tulit & Coronas, auream unam, spineam
 alte-

alteram. Quid Catharina? Spineam accipit; rejicit illam, sibi dicens: quale Caput, tale & membrum sit. Christus Jesus sub spinis: & ego. Fili! Non rosâ strata est via ad coelum. Aliam quæramus, & quidem illam ipsam, quæ nobis monstrata ad montem Calvaria.

Instructio meritoria.

Feriam sextam aut silentiô, aut jejunio aut aliô S. rigoris actu veneremur, ut vel in cordibus religiosorum piorum memoria, & amor Passionis Dominicæ radicetur solidè. Desuper rosarium dolorosum in honorem quinque vulnerum Jesu recitemus. In his dulcis requies, & potens securitas. Faciamus hîc nobis quinque tabernacula!

III.

UT iret S. Catharina semper, & ubique cum Deo, quid excogitavit? Per singulos scalæ gradus, per quos ascendere de die debuit sæpiùs, totidem & *Ave Maria* recitavit. Profectò his gradibus pervenitur ad Deum, & Mariam. Fili! ah! Cur ita vagabundi? In recollectione tam rari? Est Deus à latere:

316 Fer. VI. post Oct. Pasch. SS. Lanceæ.
& non novimus! quanta mortalium ob-
livio!

Instructio meritoria.

Praxis hæc sancta sanctam reddidit Ca-
tharinam. Assumamus & nos, & hodie
id ter præstemus, ut vel Deus per meri-
ta Mariæ nobis conferat spiritum veræ
compunctionis, & internæ recollectio-
nis. Ad supremum verò scilicet gradum
si pervenerimus, flectamus, & cum *Sal-
ve Regina* gratias agamus Deo, & Ma-
riæ pro submissa merendi occasione.
Qui pius est, occulta excogitat, qui-
bûs sese quotidie Deo, & Mariæ magis
uniat. Periculosa res, portare thesau-
rum publicè in via!

Festum SS. Lanceæ, & Clavo-
rum Domini Nostri Jesu Christi pro
Consolatione Afflictorum.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! Noveritne, quid debeat patienti
Domino? Omnia vestra in eum in-
surrexerunt membra; quia facta iniqui-
tatis instrumenta. Ideò & Jesus patitur
pro vobis totus, patitur tremenda: pa-
titur

Fer. VI. post Oct. Pasch. SS. Lanceæ &c. 317
titur summâ innocentia. Hæc Redem-
ptor. Quid verò redempta anima?

Instructio meritoria.

Arripiamus Crucifixum Jesum, & tri-
gesies exosculantes in honorem om-
nium instrumentorum, quibûs redem-
ptio facta est nostra, recitemus 34. Pater
& Ave cum hymno, & oratione ex ho-
dierno festo. Pietas abstergit impieta-
tis maculas.

II.

AD arma vocamur à D. Paulo adhor-
tante: *induite vos armaturâ Dei!*
Et hoc quare? Dat rationem: *quia non*
est colluctatio adversus carnem, & san-
guinem, sed adversus mundi rectores:
nimirum concupiscentiam oculorum,
superbiam vitæ, & concupiscentiam car-
nis. O fili! Ad arma! Hostis ad intra
est. Nos ipsos impugnemus. Non de-
erit victoria!

Instructio meritoria.

Ut nunquam cedamus inimicis no-
stris, in cultum & venerationem S. Lan-
ceæ, & Dulcissimi Cordis Jesu per eam
vulnerati, recitemus officium minus

O 3 de

318 Fer. VI. post Oct. Pasch. SS. Lanceæ &c.
de 5. vulneribus, per diem sapiùs com-
mendantes Cordi Jesu aperto afflictas,
& turbatas animas, ne succumbant. Vel
unicam servâsse Christo Jesu, quanta mer-
ces! *Mihi fecisti: & ego retribuam.*

III.

Oportet nos gloriari, ô fili! Sed in
quo? In cubilibus? Recreationibus?
Epulis, & multis conversationibus? Non
sic. Sed in Passione Domini Nostri Je-
su Christi, in qua omnis spes, totaque
salus. Gloriam affeâamus? Stigmata
Jesu portemus in corpore, & ostenda-
mus, nos membra esse de spinoso Capi-
te. Coronam spineam sequetur aurea,
quam imponet felix æternitas, & æter-
na felicitas.

Instructio meritoria.

Assumamus aliquot mortificationis
actus vel per macerationem corporis
vel per abnegationem voluntatis, sub-
jungendo hymnum: *Vexilla regis pro-*
deunt cum doloroso Rosario. His ro-
sis coronemus Caput Jesu. Spinas ro-
lamus, & in nobismetipsis per mortifi-
catio-

Domin. III. post Pascha. S. Raph. Arch. 319
cationem 5. sensuum probemus. Amor,
& gratitudo id jubent.

Festum S. Raphaëlis Archan-
geli, Medici in salutem animarum
à Deo designati.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! éstne, quod toleramus, & pa-
timur? Et cui alleviando Deus non
providit Clementissimus? est homo ens
quoddam meris compactum infirmitati-
bûs. Ne succumberet, etiam cœlestem
submisit Medicum, S. Raphaëlem Ar-
changelum. Ah! Quàm bonum habe-
mus in cœlo Patrem! Non simus ergò
filii diffidentia!

Instructio meritoria.

Ut clientes nos hodie commendemus
plenissimè S. Raphaëlis custodiae, oran-
tes psalmum pro gratiarum actione:
Benedic anima mea Domino, & omnia,
quæ intra me sunt &c. jungamus quo-
que novem actus patientia. O fili! de-
bitores sumus pro tali medico!

II.

O Quanta Dei magnalia in S. Raphaële Archangelo! Cæco lumen reddidit, Saram à dæmone liberavit, Tobiam reduxit cum salute ad propria. Et hæc ò qualia amoris specimina! Fili! S. Raphaëli adhæreamus! Scimus experiëntiâ, quot, & quantæ necessitates nostræ! Nil sustinebimus contrarii, quamdiu sub cura, & amore hujus divini Medici.

Instructio meritoria.

Multi sedent in tenebris, & in umbra mortis. Quid agit charitas nostra, quòd non succurrat? S. Raphaëlem in auxilium cum cæteris Angelis, & recitantes ter *novem Pater & Ave* cum Cantico: *Benedictus Dominus Deus Israël!* Miseros omnes curæ, & protectioni Angelicæ commendemus quàm ardentissimè. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.

III.

CEssemus tristari, dilecte mi! Hodie dies est lætitiæ! Hodie festum Archangeli Tobiam hîsce consolantis:
Gau.

Gaudium tibi sit semper! Forti animo esto! In proximo enim est, ut à Deo cureris. O felix nuntium! Recedant tristia! Fugiant desolatoria. Sit spes nostra in Deo, & SS. Angelis firmissima! Sunt hi ubique nobiscum: & tristitiâ vincimur? Quæ hæc Dei incuria?

Instructio meritoria.

Gaudeamus hodie specialiter de Præsentia Dei, & de illo tam insigni amoris beneficiô, quô tot Angelos ad nostram voluit deputatos custodiam, dicamúsque *Te Deum Laudamus cum Litanis de omnibus Sanctis Angelis.* Neque unquàm nobis transeat dies, ubi non sanctos Archangelos statim à manè per quatuor *Ave* invitaverimus ad nostram, quæ per diem imminet, pugnam periculosissimam. Spes optima Victoriæ, ubi tot nobis de cœlo submissæ assistunt Custodiæ. Ebullic sanguis in corpore militis ad conspectum sui ducis ad prælia adhortantis. Quid nos ad monita Dei, & Angelicæ custodiæ suaviter ad palmam invitantis?

O 5

MA-